

DISPUTATIO IURIDICA
INAUGURALIS

*ad rubricam
Dig.*

46 ~~415~~ 16
415

1626, 20

NIHIL INNOVARI
APPELLATIONE
INTERPOSITA,

QVAM

D. O. M. A.

Ex

DECRETO MAGNIFICI ET AMPLISSIMI
I.C. ordinis in celeberrima Argentoraten-
sium Universitate

PRO CONSEQUENDIS IN VTROQUE
JURE PRIVILEGIIS DOCTO-
RALIBUS,

Publicæ & solenni censuræ,

subjicit

JOHANNES Schriekel / HILPER-
hulanus Fr,

a. d. 15. April.

ARGENTORATI,

EXCUDERAT PAULUS LEDERTZ,

Anno M. DC. XXVI.

DISPUTATIO IURIDICA
IN IURISPRUDENTIA

ANNO 1771
DIE 10

MIHI INNOVARII
APPELLATIONE
INTERPOSITA,

GRAM

D. O. M. A.

EX

DECRETO MAGNIFICI ET CARMERISSIMI

PRO CONSUEVENTIIS IN VIROGVE

PRO PRIVILEGIIS DOCTOR.

ALIIQUE

Publice Examinatae

Ab

JOHANNES GREGOR VILBER.

Magister

Magister

ALBERTORATI

FRANCO-PAULUS LEDEBT.

ANNO MDCCLXXVI



THESIS 1.



Udiciū videtur bello simile: nam quemadmodum bellum geritur, ut eo tanquam legitimo medio pax quærat, ita iudiciū accipitur, ut id quod nobis debetur, eo ritè constituto persequamur, sicuti etiam, quando iudiciū acceptum est, nostra vernacula dicitur, *der Krieg sey befestiget* / & eadem ratione curatorem ad litem, qui in tutoris locum quandoque datur, si inter tutorem pupillumq; agendum sit, nos appellamus *Kriegischen Vormunde*.

2. Equè Advocati, qui in iudicio versantur, militare perhibentur, qua ratione & milites togati q. togæ defensores dicuntur.

3. Est igitur iudiciū q. bellum togatum, quo per legitimos tramites calumniantium iniquitates expelluntur, nec res controversa prius cum effectu petenti ad iudicatur, nisi ordine ac via causa cognita liti finis imponatur.

4. Hinc, quādo res cōtroversa appellatione interposita ex inferioris iudicis sententia vel etiā proprio motu capitur, jure meritoq; illa revocatur, quia jushoc casu talem suggerit decisionem: **NIHIL INNOVARI APPELLATIONE INTERPOSITA.**

5. Hæc decisio cū inter difficilimas ob varios emergentes casus in foro habeatur, hac vice honorifica de ea DEO propitio ita videre lubet, ut initio rubricæ Cōtinationem ad præcedentia 2. Perfectionem 3. Verborum significationem 4. Sententiam perspiciamus.

6. Rubricæ continuatio manifesta est nec eget prolixâ inductione, quippe dimissoriis libellis appellatio confirmatur, quâ interpositâ nihil innovetur consequens est.

7. Unde acta & gesta post datos apostolos dicuntur attentata, nisi sint talia, quæ possunt fieri pendente causa principali.

8. Quod attinet v. perfectionem rubr. illa convalidatur ex sermone eius perfecto, qui tanquam verum signum perfectioris rubricæ à Dd recipitur ad eò, ut eiusmodi rubrica pro lege & regula in causis allegari possit.

9. Deinde & hæc rubrica generalis est, quod proprium perfectæ rubricæ à Dd. traditur. vid. Bart. in l. 1. n. 3. si cert. pet.

A 2 Argumentum

10. Argumentum eius generalitatis potest esse quod locum etiam habeat contra ipsum iudicem, à quo est appellatum *gl. in Clem. 2. de appell.*

11. Unum generale præceptum hic mente tenendum est, quod generalis rubrica generaliter intelligatur secundum ea quæ allegat Farin. *lib. 2. consil. conf. 177. n. 14.*

12. Subsequitur nunc rubricæ verborum significatio, cuius tractatio dupliciter institui potest, *generaliter & specialiter.*

13. *Generaliter*, dum apparet, hæc verba esse generalia, dispositiva & negativa.

14. Ideo si quis hæc saltem de recepta appellatione intelligenda putat, ex generalitate verborum repellitur.

15. Ita fallitur & ille qui de actu non etiam conatu innovationis ea explicat, cum sint negativa, quæ strictius quam affirmativa in J. accipiuntur.

16. Eodem errore ducuntur, qui ob metum justum omissam appellationem pro non interposita habet & innovare properant, dummodo hoc casu metu impeditus intra decendum protestatus sit, se absq; periculo appellare non potuisse.

17. *Quæ specialiter* in rubricæ verbis occurrunt monenda, præcipuum est, quod particula illa universalis negativa *NIHIL* omnem actum & casum excludit, nec aliquid, quod excogitari potest, intactum relinquit, adeo ut omnem causarum distinctionem & interpretationem remove videatur.

18. Aiunt nonnulli Dd. hoc esse verum, quando inter unum & alium casum seu causam una & eadem adest ratio. *Ofasch. decis. 167. num. 2.*

19. Alterum est, quod verbum *innovari* idem significet ac attentari h. e. frequenter tentari, quam sententiam annexam præpositionem *in* innuere non est coniectura nullius momenti.

20. In J. verbum novare cum suis compositis & nominibus *in bonam & malam* partem sumitur.

21. *In bonam*, quando primam actionem in aliam transfundimus, vel novam qualitatem ipsi per litis contestationem addimus vel novam formam per sententiam adquirimus. *Bart. in l. sanctimus C. de usur. rei iud.*

22. *In malam*, ut hic & in plerisque rescriptis Impp. quæ
plerun-

plerunq; illam formam continent, novam rem desiderari &c.

23. Propriè v. hic innovare est aliquid facere medio tempore, appellatione interpositâ, quod idem est, ac sine rationabili causa ad actum aliquem accedere.

24. *Appellatio interposita* dicitur, quando est recepta & dantur apostoli ab eo, à quo est appellatum.

25. Quinimò quando etiam non est recepta, modo quaque ratione is, cuius appellatio non est recepta, doceat apud competentem iudicem, appellationem suam non esse receptam.

26. Eò tendit & Macer. *in l. 4. de app. recip. vel non.*, qui vult, eum, qui appellationem non receperit, opinionem suam confestim per relationem manifestare & causam, pro qua non recepit appellationem, eiusq; exemplum litigatori edere debere.

27. Porro interposita appellatio putatur quando adhuc pendet terminus ad appellandum, quia paria sunt pendere terminum ad appellandum & appellatum esse. Farin. *tom. 2. decis. 618.*

28. Novissimè de tota rubrica observetur, illam differre à tit. ut lit. pendente nihil innovetur X. & in 6.

29. Decius in c. consuluit de appell. utriusq; tit. *Nihil innov. & ut lit. pend.* &c. rationem diversitatis ponit, quod per tit. *nihil innovari appellatione interposita* ligetur iudex, sed per tit. *ut lite pendente nihil innovetur*, pars.

30. Verum tutius est ut dicamus, iudicem & partem utroq; tit. ligari sed diversimodè i. e. altero *nil innovari appellatione interposita*, altero *ut lit. pendente*.

31. Restat sententia rubricæ, quæ sese ipsam ostendit & explicat: **N I H I L I N N O V A R I A P P E L L A T I O N E I N T E R P O S I T A**: quia si est recepta appellatio, tamdiu nihil innovandum est, quamdiu de appellatione fuerit pronunciatum: sin non est recepta, ne præiudicium fiat, quod deliberetur, utrum recipienda sit appellatio annon sit. *l. un. rubr. nostre.*

32. De J. Canon. extra dubium positum est, quod etiam in frivola appellatione interposita non statim licitum sit innovare, sed appellans iterum, priusquam res controversa capiatur, ad audiendam sententiam citandus sit.

33. Nec ad rem pertinet, quod appellatio calumniosa ante

A 3

senten-

sententiam definitivam simpliciter sperni potest procedendo ad ulteriora, præsertim ubi Concilium Tridentinum vigorem suum ex-
erit, quo omnes appellationes ante definitivam in tribunalibus Ec-
clesiasticis sunt prohibita, ratio est in th. 46.

34. Per totum certa doctrina sit d. rubr. sententiam sese ex-
tendere ad omnes causas, criminales & Civiles, ut & Ecclesiasticas
secundum canones.

35. Idcirco si quis deportatione damnatus vel ipse, vel alius
se invito etiam, & sine mandato appellaverit, ipse pœna legitima
non afficitur, sed medio tempore in carcere esse iubetur, nisi ex plu-
ribus condemnatus ob leviora appellaverit, quo casu non obstante
appellatione pœna imponitur, uti receptum est.

36. Eadem via proceditur in relegatione, adnotatione famæ
& privatione ordinis, in quibus omnibus integer status rei esse vi-
detur provocatione interposita tam de fama quam participatione
cæsus.

37. Sanè in omnibus causis ita prohibitum est innovare, ut,
licet quis nactus sit rescriptum principis de innovando, tamen in-
novari non liceat.

38. Nam, quia innovare delictum sapit, princeps concede-
re non præsumitur, sicuti ex eadem ratione non præsumi debere at-
tentatum tradit Crescent *decis. 53. n. 1.*

39. De cætero circa huius rubricæ sententiam notandum
est 1. quod loquatur primario de appellatione interposita à defini-
tiva, non interlocutoria, nisi delatum sit appellationi.

40. 2. Quod habeat locum inter appellantem & appella-
tum, non autem quoad tertium, respectu cuius non dicitur pende-
re appellatio.

41. 3. Quod possit appellans interposita appellatione, ante-
quam innovetur, iudicem de ea monere, ne aliquid innovetur in
præiudicium appellationis.

42. Quemadmodum autem ex his dictis constare potest,
quod nihil innovari appellatione interposita omnino oporteat, ita
si sub hac qualitate innovatum fuerit, datur materia attentatorum
Magon *decis. Flor. decis. 77. n. 4.*

43. Nam, dum lex prohibet aliquid fieri, simul etiam pro-
mittit adversus contrafacientes remedium salutare quod est in no-
stra

stra rubrica revocatio attentati.

44. Unde error ille facilè refutatur, quod contra eum, qui appellatione interposita & in quantum admissa per extractos executoriales capit possessionem, de spolio & turbatione agatur.

45. Quid v. sit revocatio attentati vi rubricæ intelligitur, & ita describi potest, quod sit rei vel alterius cujusvis facti innovati ad pristinum statum legitima reductio.

46. Fallit in iis casibus, in quibus attentata non revocantur, ut si appellatio non ritè interposita, vel deserta, vel injusta, vel nulla fuerit, vel renunciatio intercesserit, vel leges aut statuta appellationem prohibuerint.

47. Idem est, quando vel favor causæ, locive, vel mora periculum allatura, vel consensus partis, aut aliud proprium factum, vel tres conformes sententiæ revocationem attentatorum impediunt.

48. Ad regulam pertinet, quod revocatione attentatorum veniant etiam fructus & expensæ:

49. Huius dicti tres sunt exceptiones: 1. nisi præsumtivè justa causa foveatur.

50. 2. Nisi possessio autoritate iudicis ignorantis appellationem insinuatam obtenta sit.

51. 3. Nisi attentans sit pauper, quo casu propter jus alimentationis favorabile quoad fructus perceptos dispensari potest.

52. Quando vero attentata revocanda sint, est expediti juris, quod ante omnia sint revocanda, aded ut ante revocationem attentatorum in causa principali quis invitus procedere non cogatur. Berlich. *decis. aur.* 131. n. 1. & 2.

53. Nam causa attentatorum nihil habet commune cum principali causa, qua ratione Hostiensis inductus suadet, ut petens revocari attentata caveat sibi, ne contestetur litem super principali causa, quia electa via ordinaria cessat extraordinarium officium iudicis.

54. Verum receptior est sententia, quod per litis contestationem in causa principali non recedatur ab his, quæ ordinem non requirunt.

55. Francisc. Herculanius dat casum, in quo necessario causa attentatorum cum causa principali cognoscenda sit, ut si utraque
pars.

pars de continuatione & persequutione juris sui contendat.

56. Quomodo sint revocanda attentata, constat, quod implorato Judicis officio de plano sine libello & lit. contestatione revocatio eorum fieri debeat, modo altiore indagine non requirant sed sint notoria vel in continenti probari possint. Gylm. tom. 3. decis. cam. Imp. in verb. attentata.

57. De requisitis ad h. revocationem præcipua sunt 1. sententiam esse latam 2. ab ea sententia esse appellatum 3. intra tempus appellationis esse attentatum: quod ultimum duobus iterum concluditur 1. quod petens revocationem tempore appellationis possederit 2. quod is, qui novavit, jam occupet & teneat.

58. Ex quibus patet, non posse revocari possess. ab eo qui continuat possess. veluti si fundi possessor pendente appellatione commodo suæ possess. utatur, fruatur, Gail. lib. 1. obs. 145.

59. De sententia, quæ in attentatis fertur, coronidis loco quaero, an sit definitiva vel interlocutoria? Posterior placet: & hæc disputationis loco dicta sufficiant.

COROLLARIA.

I.

SC. Vellej. mulier renunciare nequit.

II.

L. 2. C. de resc. vend. in transact. lesa ultra dimidium locum non habet.

III.

C. redintegranda c. 3. q. 1. datur contra tertium b. fid. poss.

IV.


Legitimati per subsequens matrimonium in Feudis succedere nequeunt.

V.

In criminalibus etiam de I. recess. Imp. appellare licet.

FINIS.







Strassberg, Diss., 1623-26

X2617020

WMA





B.I.G.

Farbkarte #13

DISPUTATIO IVRIDICA
INAUGURALIS

46 ~~415~~ 46

*ad rubricam
Dig.*

1626, 20.

PHIL INNOVARI
APPELLATIONE
INTERPOSITA,

QVAM

D. O. M. A.

Ex

RETO MAGNIFICI ET AMPLISSIMI
IC. ordinis in celeberrima Argentoraten-
sium Vniuersitate

CONSEQVENDIS IN VTROQVE
JURE PRIVILEGIIS DOCTO-
RALIBUS,

Publicæ & solenni censuræ,

subjicit

JOHANNES Schriefel / HILPER-
hulanus Fr,

a. d. 15. April.

ARGENTORATI,

EXCUDEBAT PAULUS LEDERTZ,

Anno M. DC. XXVI.

